



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno 483. Usque Ad Annum 561.


Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1759

VD18 90117824

§. 1. Paulus Patriarcha Alexandrinus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66066](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66066)



HISTORIA ECCLESIASTICA.

LIBER XXXIII.

VIGILIUS PAPA.
JUSTINIANUS, IMPERATOR,
ET VITIGES, REX.

§. I.

Paulus Patriarcha Alexandrinus.

Theodosio Patriarcha Alexandrino in Sæculum VI.
Exilium expulso, Paulus Abbas ex A.C. 538.
Ordine Tabennensium in ejus lo- Liber bre-
cum ordinatus est. Is, cum ab aliquibus viar. c. 23.
suorum Monachorum vilipenderetur, Sup.
Constantinopolim venerat, XXXII.
Causam suam §. 31.
coram

Sæculum VI. coram Imperatore acturus. Pelagius
A. C. 538. Diaconus, qui Virum integerrime Catho-
 licum noverat, ipsumque Concilium Cal-
 cedonense recipere, effecit, ut in Sede A-
 lexandrina collocaretur, ordinatusque
 est Constantinopoli a Menna Patriarcha,
 eodem Pelagio, Ephrem Antiocheni, at-
 que Petri Jerosolymitani, Legatis præ-
 sentibus. Imperator Paulo contulit Po-
 testatem in Duces & Tribunos Ægypti
 & Provinciarum subditarum, qua Hære-
 ticos deponeret, & Orthodoxos consti-
 tueret; illi enim populorum dissensiones
 fovebant.

Cum Paulus Alexandriam pervenis-
 set, totam Civitatem omniaque Mona-
 steria tum metu injecto tum adhibita in-
 dustria eo adduxit, ut Concilium Calce-
 donense reciperent. Eliam Militiæ Ma-
 gistrum amoturus erat, nisi prohibuisset
 Psojus Diaconus & Ecclesiæ œconomus E-
 liæ amicus, qui missis tabellariis pedestri-
 bus quidem, sed velocissimis, quorum in
 Ægypto frequens usus erat, Patriarchæ
 consilia Eliæ significavit. Paulus Patriar-
 chæ interceptis Psoji litteris, sermone Æ-
 gyptiaco scriptis, timuit, ne experiretur
 fortem Proterii, ab Eutychanis trucidati,
 cœpitque urgere Psojum, ut Admini-
 strationis suæ rationem redderet. Ita-
 que datis ad Imperatorem litteris eum
 interea Magistratum manibus tradit. Ro-
 don

Sup.
L. XXIX.
S. 2.

Sæculum VI.
A. C. 538.

don tunc Ægypto Præfectus eum custodiendum recepit, dum Imperatoris mandata afferrentur. Interim Primorum Civitatis aliquis, cui Nomen Arsenius, Rodonem muneribus corruptum permovit, ut Psojum clam & noctu in tormentis interficeret. Occisi liberis & propinquis indignam mortem apud Imperatorem deflentibus, is Ægypti Prætura Liberio collata eundem Alexandriam mittit jussum in illud facinus inquirere. Liberius illo delatus, accersito Rodone, interrogat, quo modo Psojum Diaconum occidisset. Respondit Rodon: *Pauli Episcopi imperio, nam habeo Imperatoris mandata, quibus, quæcunque voluerit Episcopus, exequi jubeor.* Id vero negabat Paulus sancte affirmans, se hujus rei nullatenus conscium fuisse. Patuit postea veritas, Arsenium homicidii hujus auctorem extitisse, & neci datus est. Paulus tamen Episcopus Gazæ in Palæstina exulare jussus, & Rodon cum Actis hujus Judicii Constantinopolim perductus; quibus coram Imperatore perlectis morte punitus est.

Tum Imperator Pelagium Diaconum S. Sedis Legatum Antiochiam misit, addito mandato; ut inde cum Ephrem Antiocheno, Petro Jerosolymitano & Hypacio Ephesino Gazam se conferret, ut Paulo Alexandrino Pallium auferrent, eum-

Sæculum VI. eumque deponerent. Igitur Pelagius
 A. C. 538. Antiochiam & deinde Jerosolymam ve-
 nit, unde cum duobus Patriarchis & qui-
 busdam Episcopis Gazam delatus est.
 Leont. Sect. Ibi Paulo deposito in ejus locum Zoilum
 Act. 5. Patriarcham Alexandrinum ordinarunt,
 qui etiam sicut Paulus Concilii Calcedo-
 nensis Fidem profitebatur.

§. II.

Agnoitæ & Tritheitæ.

Interea Eutychiani seu Acephali quoti-
 die in novas Sectas abibant. Theodo-
 sius Alexandrinus, cum Constantinopoli
 versaretur, occasio fuit, ut Agnoitarum
 Secta nasceretur; nam exorta quæstione
 Marc. 13. 32. super Domini Nostri Verba: *Hora Ju-
 dicii neminem scire, (*) neque Filium,*
 an

(*) Hæc Christi Domini assertio Cardinalem
 Gotti permovit, ut dubitaret, an Beati in Cælo
 Visione perpetua Orationes Fidelium in terra
 existentium ad se directas, & futurorum quocun-
 que demum tempore ad se dirigendas viderent,
 quod deinde saltem arguere possent, quando
 Judicii extremi dies esset adventura, & diceret,
 eas per Revelationes successivas extra Verbum
 cognoscere. Nihilominus non videtur adesse
 ratio sufficiens discedendi a principio Theolo-
 gico, secundum quod Beati omnia tam ad sub-
 stantiam quam ad circumstantias suæ Felicitatis
 pertinentia, nempe illa, quæ ipsorum Personas
 tangunt,